Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2737
Quelle:
Copyright:

alia. Sed et finis ab Editis abit. Postquam enim dictum fuisset Martyris corpus ab Angelis in montem *Sinai* asportatum, subditur: *Quo in loco innumera ad laudem dei fiunt miracula. Inter quę et hoc unum constat insigne miraculum: quod de sepulcro ipsius riuus olei indeficienter manare uidetur. Nam et de minutis ossibus que de sarcofago cum oleo effluunt. ubicunque asportantur. salutaris olei liquor stillare non desinit. ex quo peruncta debilium corpora celeris medicine opem reportant. Passa est ergo beata katerina mense novembrio. uicesima. V. die. feria. VI. hora tercia. seruans uidelicet diem et horam qua christus pro mundi redemptione ad passionem properauit. cui honor* &c. De *oleo* confirmat *Bern. de Breydenbach* in Itinerario *Mogunt.* 1486. f. et alias edito. Quid vero in universum de his Actis sentiendum, praeclare, ut solet, statuit *Adr. Bailletus* in *Vies des Saints* T. III. *Paris.* 1704. *Mois de Nov. col.* 397. f. In *Cod.* iis alia sed coaeva manu subscriptum est: *Domini mei ac fratres karissimi uobis certificare congratur* (congratulatur?) *animus meus &c. Nam uerum esse nullo modo dubitetis. quia per totam italiam sepe et sepius probatum est quod uita sancte Katerine multum adiuuat infirmantes et ibi cum magna reuerentia obseruatur. Preterea sciatis. Quod si aliqua pregnans sit et laboret in partu. sicuti mos est mulierum. si uitam istam secum habuerit et eam legere fecerit. procul dubio absque mortis periculo liberabitur.* Censuram calamus paullo recentior occupavit addendo: *Falsum est et ficticium et plusquam apocrifum.* Adi et *Cod.* CCCXXVI. Ad Historiam *Codicis* pertinent, quae *p. ult.* leguntur: *Iste libellus spectat ad Johannem Staffelstein vicarium ecclesie Spiren. emptus ab executoribus quondam F. Kenniken vicarii ecclesie eiusdem. Et postea decedente prefato quondam bo. me. Johanne Staffesteyn de anno domini MCCCCLIX. Conradus Stol ciuis Spiren. Sororius eius et heres uniuersalis librum hunc inter alia relicta recepit et in potestatem Rabani Stoll filii sui dedit.*

DCCLVI.

Codex membraneus lat. Sec. 427
partim XIV. partim XIII. 4. minute partim per 2. columnas, partim lineis longis exaratus, et quondam *conuentus Wienn. ordinis fratrum predicatorum in austria*, sequentia complectitur: I. *Sermones aliquos modo figurativo compilatos quantum ad formam procedendi.* Themata dicas potius Sermonum ex aevi illius gustu multis divisionibus, subdivisionibusque scatentia, quorum primum incipit: *Debet videre anima devota mentaliter et extacite* (ecstatice) *contemplari* &c. Levia omnia.

II. *fol.* 23. sequitur Congeries quaedam ἀκέφαλος *Exemplorum* ex omni Historia citatis quam plurimis Autoribus, puta: *Seneca, Aristotele, Valerio Max. Solino, Cassiodoro, Pompejo Trogo, Boethio, Alberto M. Augustino,*